9

VAS PICTUM
ITALICO-GRAECUM

QUOD

ORESTEM

AD TRIPODEM DELPHICUM

SUPPLICEM EXHIBET

EX MUSÆO

REGIAE SUAE CELSITATIS

CHRISTIANI FRIDERICI

PRINCIPIS SERENISSIMI

DESCRIPSIT

Dr. *BIRGERUS THORLACIUS*,

PROFESSOR LINGVÆ LATINÆ ORDINARIUS IN UNIVERSITATE HAVNIENSI,
REGI A CONSILIIS STATUS ATQUE EQUES ORDINIS DANEBROG.

HAVNIAE 1826.

TYPIS DIRECTORIS *JANI HOSTRUP SCHULTZII*,
AULÆ ET UNIVERSITATIS TYPOGRAPHI.

Quod pluribus Europæ civitatibus post pacem feliciter recuperatam ultimo decennio contigit, ut egregiis literarum, artis et antiquitatis monumentis musæa sua ditarent ornarentque, idem patriæ nostræ, auspice *AUGUSTISSIMO REGE,* omnis boni, recti, pulchri, hortatore et patrono evectissimo, evenisse, vehementer illi gratulamur. Quando vero justius istud gaudium præ se feret atque profitebitur Universitas Regia Havniensis, quam in solennibus, quibus hisce diebus natales Regios celebrabimus? Non loquor de collectionis picturarum et bibliothecæ magnæ Regiæ, de numophylacii Regii atque musæi Historiæ naturalis incrementis, quorum et similium institutorum laudibus, etiam inter exteros notis, prædicandis calamus noster haud satis est idoneus. Sed ut duas modo collectiones cum vetustate cohærentes memorem, musæum antiquitatum borealium, vix vicennio abhinc conditum, quam læte, quamque fauste, et ita, ut unicum fere sui generis sit, brevi succrevit! Regium vero artis musæum, ad locum commodiorem transvectum, atque in ordinem meliorem redactum, cum reliquas partes tanto splendore ornatas, tum partem sui Ægyptiacam ita auctam hisce annis vidit, ut vix se ipsum recognoscat.

Augusti Sobrini vestigiis insistens Regia Sua Celsitudo, Princeps CHRISTIANUS FRIDERICUS, novum patriæ decus, literis artibusque valde profuturum, nuper conciliavit. Anno nunc elapso Havniam venerunt præstantissimæ collectiones rerum ad historiam naturalem, ad artem et antiquitatem per-

tinentium, quas Princeps Serenissimus in itinere, paucis abhinc annis per Germaniam, Italiam et Franco-Galliam suscepto, emtione sibi comparaverat. Ut intra antiquitatis monumenta hic maneamus, contigit Illi musæo suo inserere multa cimelia, in locis quæ visebat eo ipso tempore Ipsoque inspiciente effossa, eaque ut rarissima, ita optime conservata, plures ex marmore statuas, imagines, lapides inscriptos, figuras æneas, variaque utensilia, sed præcipue ducenta vasa Italico-Græca, atque inter hæc fere vicena, cum insigni magnitudine, tum formæ elegantia, picturæque et repræsentationis concinnitate eximia. Tota collectio antiquaria Archiepiscopi Tarentini D. Guiseppe Capece-Latro*) in musæum Principis migravit, sed præter hanc multis in Italia Galliaque, ubi occasio se offerebat, emtis antiquitatibus exquisiti pretii id locupletatum est. Ex vasis laudati Archiepiscopi, quantum scio, non nisi unum singulari commentario descriptum habetur,**) illud nempe e Sicilia oriundum, quod Amphiaraum, Adrastum et Eriphylen splendidissimis picturis exhibet. Sed sunt multa alia, quæ diligentiorem descriptionem merentur. Nominare inprimis liceat pretiosissimum vas marmoreum, optimi anaglyphici operis, manuque elegantissima elaboratum, cujus forma et repræsentatione, bacchanale dulcissimum ostendente, vix pulchrius quid poterit cogitari. Verum sunt quoque inter vasa picturis ornata, plura, ex quibus literis, et

---

*) quem *Millingen* in opere elegantissimo: Peintures de Vases Grecs. Rome 1813. Fol. his verbis laudat: "si connu par son amour éclairé pour les arts et la protection, qu'il accorde à tous ceux, qui s'en occupent." *J. F. L. Hausmann*, Professor Goettingensis, qui in Commentationibus Societatis Scientiarum Goetting. recentioribus Vol. V. 1823. 4to. p. 117-148. tractatum dedit de confectione vasorum antiquorum fictilium, quæ vulgo Etrusca appellantur: "Inter collectiones, inquit, privatas Neapolitanas, Archiepiscopi Tarentini præcipue est notanda, quæ in viri doctissimi atque humanissimi villa prope Portici sita, operibus artis antiquæ et recentioris eleganter ornata servatur."

**) per *Angel. Anton. Scotti*, in docto opere: "Illustrazione di un vaso Italo-Greco del museo di Monsignor Arcivescovo di Taranto. In Napoli 1811. 4to;" quæ disquisitio plura provocavit opuscula. *Millingen* in laudato opere Tab. XX et XXI. pag. 36 sequ. vas illud rarissimum explicavit.

maxime mythologiæ classicæ haud levis lux possit affundi; atque ex minoris molis cimeliis reperientur multa, quæ doctorum animi adtentionem ad se convertent.

Cum Princeps Celsissimus hujus collectionis, ex quo ad metropolin delata fuerat, spectandæ copiam fecisset omnibus qui sive artis sive literarum nomine ea frui vellent, studiorum meorum omnino interesse duxi, ut eam accuratius perlustrarem. Hanc veniam cum a Regia Sua Celsitudine facile impetrassem, cumque singula musæi cimelia examinando animadvertissem, permulta hic servari, penitiore digna disquisitione, subortum est mihi votum, ut unius et alterius explicationem publice tentarem. Inter vasa mox mihi valde memorabile occurrerat illud, in quo Orestem ad tripodem Apollinis supplicem videre mihi videbar. Quod ubi Principi indicaveram, benignissime curavit, ut per dexterrimum pictorem fida ejus delineatio conficeretur, explicationem adjutura. Sic instructus periculum faciam elegantis hujus operis describendi; in quo, et præcipue in ratione reddenda singulorum, quæ cogitaverit artifex in repræsentatione exhibenda si subinde forte erravero, tanto faciliorem a benevolo Lectore veniam mihi datum iri spero, quo magis vel peritissimi vasorum veterum descriptores fassi sunt, in iis multa non solum a sensu quodam, sed etiam a frequenti talium monumentorum inspectione pendere.

Quod ergo in aliis opusculis sæpe feci, ut nunc anecdota bibliothecæ Regiæ ederem,*) nunc monumenta musæi artis Regii **) in literarum usum converterem,

*) tales IX sensim publicavi historias scandinavicas, atque ultimo anno anecdoton Græcum de divina providentia.

**) monumentis Ægyptiacis, quæ in musæo artis Regio habentur, superstruxi duas tractatiunculas vernaculas: "de pyramidibus aliisque symbolicis Ægyptiorum monumentis," atque: "ideas Ægyptiorum de statu post mortem," quæ scriptis Societatis Scandinavicæ insertæ sunt. Servo quoque in meis scriniis delineationes plarorumque monumentorum Ægyptiacorum, in eodem musæo extantium, quas faciendas mihi curavi, aliquando forte edendas.

nunc cimelia in privatis collectionibus*) obvia disquisitioni subjicerem, id jam in vase Italico-Græco ex musæo Principis Regii facere studebo, disquisitionem sic instituturus, ut *primum* de vasis materia, forma, picturæ ratione, atque ætate, et *deinde* de repræsentationis, in utroque ejus latere occurrentis, sensu et consilio, dicere aggrediar.

I.

§. 1. Vas Italico-Græcum, de quo nunc agemus, non in musæo Archiepiscopi Tarentini fuerat, sed singulatim Neapoli emtum est,**) in una ex hujus regionis provinciis***) effossum. Cernitur in tabula æri incisa, huic scriptiunculæ subjecta. Pertinere illud ad vasa nobiliora, ipsa ejus *materia* indicat. Cum nobiliorum vasorum indicia sint, ponderis levitas, durities, sonus, porositas, gradusque, quo massa aquam bibat,****) ea omnia in vas hocce cadunt. Siquidem cimelion est plane integrum, et egregie conservatum, religio sane foret, illud aliqua parte frangere, eo fine, ut ex fragmentis efficeretur, num partibus heterogeneis materia constiterit, et num arenæ admixtio observetur, an nigredo ipsam massam permeet, cæt. Verum durities, clangorque, ubi digitis pulsatur, satis ostendere videntur, massam per se nigram fuisse; eoque simul probabile redditur, materiam, semel fortiter esse coctam, quo firmitatem necessariam vas adeptum sit, simulque porositatem conservarit. Non dubium est, illud in rota figulina esse confectum, quam fabricationem ad remotissimam antiquitatem ascendere, pro-

---

*) ex. c. Monradi, Münteri, al.

**) Venditor erat celeberrimus talium cimeliorum collector Crescenzo, idem musæi Neapolitani director.

***) docet splendidum *Millingii* Opus, (pag. VII) prope Calabriæ oppida *Anzi* et *Pomarico* plura vasa picta recentissimis annis effossa fuisse.

****) cfr. *Hausmann* l. c. §§. 9, 11, 20.

batum viri docti dederunt;*) nam id et singulæ vasis partes diligenter inspectæ docent, et observatio, quæ peritis eruditisque oculis placuit: fere nunquam reperiri vasa antiqua, ita prorsus similia, ut modulis originem debere potuerint.

Massam vasorum antiquorum dijudicare, chemicorum omnino est negotium. Ideo consentaneum esse duco, loco longioris de vasis hujus materia disquisitionis, verba afferre celeberrimi *Hausmanni*,**) quibus explicat, quid accuratiori hujus rei examine effectum esse credat.***) Qvadrant vero ea egregie in vas Oresteum. "Ad experimenta (inquit) progressus sum, quorum consilium erat, vasorum antiquorum massam nigram imitari; quod prorsus mihi successit. Substantia *Asphalti* usus sum, et quidem varietate ejus insigni, a mari mortuo proveniente, antiquitus jam nota. Argillæ, ad fistulariarum fumariarum operisque figlini lapidei *(Steingut)* fabricationem inservienti, aqua mollitæ, asphalti illius in pulverem redacti tantum addidi, et cum illa intime miscui, quantum sufficit ad colorem album in griseum mutandum; qua massa cylindros formavi, quos in aëre siccavi atque in superficie lævigavi. Cylindros sensim sensimque in crucibulo, inter carbones candentes posito, calefeci, ad caloris gradum, quo asphaltum liquatur. Qua ratione argilla, ab asphalto liquato prorsus imbuta, omninoque nigra reddita, ac simul in cylindrorum superficie nitore, vernici simili, obducta est. Cylindrorum massa, hoc modo composita atque cocta, cum vasorum græcorum etruscorumque massa nigra omni modo convenit."

§. 2. Formas vasorum, quæ Græca, Italico-Græca, et Etrusca vocantur, venustate excellere, res est adeo indubia, ut recte contendi possit, eam elegantiam, quæ in multis utensilibus nostro tempore per cultiores orbis regiones invaluit, magna ex parte illis deberi. Nemo nescit, quam feliciter imprimis

---

*) cfr. *C. Ritteri:* Die Vorhalle Europäischer Völkergeschichten p. 237.

**) *Commentation. Goettingens. recentior.* Vol. V. p. 146-47. §. 37.

***) Hausmanni sententiam *Örstedius* quoque noster in literis ad me datis amplecti videtur.

Wedgwoodiana, quæ in Britannia floret, fabrica antiquitatem in hoc genere sit imitata; sed fatentur tamen omnes, quod, licet antiqui multis caruerint fabricationis præsidiis, quæ ars figlina recentior adinvenit, licet tum sola manuum dexteritatisque ope multa facerent, quæ nunc machinis conficiuntur, formarum tamen, quas offert antiquitas, ingeniosam pulchritudinem recentiores superare nequeant.

Exemplum *formæ elegantissimæ* præbet vas, quod hic tractamus, quodque Fig. 1. tabulæ æneæ oculis Lectoris subjicit. Ostium, alvus, ansæ, calyx atque pes ejus, mira harmonia conspirant ad integrum quid pulcherrimum efficiendum. Spectatores amoenitati florum examinandæ adsueti, cum dulcissimo flore vas hocce compararunt, declararuntque, posse illud, sepositis videlicet pede atque ansis, respectu botanico nominari: corollam campanulatam, margine explanata, tubo cylindrico-obconico, fundo rotundato, pedicello brevissimo. Est omnino ex eo genere, quod Itali *a forma di campana* vocant. Ostii diameter exterior ob marginem cum aliqua inclinatione exstantem aliquanto major est interiore. Dein descendit illud cum externa cavatura ad alvi initium, a quo peripheria planiore distingvitur. Alvus diametrum inferiorem paullo minorem habet, quam superiorem; utrique in superficie vasis leviter curvata concurrunt. Duæ ansæ, una in utroque latere, bina habentes brachia, a calyce inferiori incipiunt, atque forma cylindrica, sed superne tenuiori et inclinata, ad mediam alvi superficiem sic adscendunt, ut illam fere contrectent. Pars vasis inferior calyciformis, cum alvo sic coalescit, ut inde aliquantum protuberet, tumque interjecta coronide pedis collum attingat. Pes ipse satis magnus est, et orbicularis, angulum efficiens, ubi cavitati adnectitur, quæ cum suo collo illum levi transitu conjungit.

Dimensiones hæ sunt:

vasis altitudo	16 pollices,	8 lineæ.
diameter ostii	15 —	3 —

diameter alvi superior	11	pollices.		
inferior	9	—		
calycis inferioris diameter	9	—	6	lineæ.
colli infra calycem diameter	2	—	$7\frac{1}{2}$	—
pedis diameter	7	—	-	—
alvi altitndo	7	—	10	—
ansarum altitudo a pedis basi	11	—	9	— .

Si comparemus formam hujus vasis cum iis, quæ in operibus talia monumenta tractantibus delineatæ sunt, reperietur magna ejus similitndo cum Fig. 11. tabulæ classium I^mæ libri sic inscripti: Collettione delle diverse forme de'i vasi Italico-Greci, da *Rafaele Gargiulo* ed *Rafaële Biondi.* Tom. I. Napoli 1822. 4to. In opere splendido *J. G. Millingen:* Peintures antiques et inedites des vases Grecs, tirées de diverses collections. Rome 1813. Fol. max. Pl. A. Fig. 6. et Pl. C. Fig. 6. exhibentur formæ ad hanc prope accedentes, cum leviusculo tamen in ansis et in pede discrimine.

§. 3. *Pictura* vasis talis est, ut super nigro universe fundo figuræ omnes omniaque ornamenta rubro-flava cernantur. Vernix et fundo et figuris superinducta non nisi langvidiuscule nitet. Marginem ostii inferiorem corona laurea cingit; calycemque protuberantem ambit limbus frondarius, inter duas lineas rubroflavas inclusus. Cum methodus in pingendis vasis antiquis adhibita a viro peritissimo *Andrea de Jorio,* *) et vernicis in iisdem obviæ ratio, a celeberr. *Brocchi* **) diligenter examinata sit, cumque ill. *Hausmann* ***) novo examini utramque subjece-

---

*) Opusculum sic inscriptum est: Sul metodo degli antichi nel dipingere i vasi. Napoli 1813. 8vo.

**) cfr. Osservazioni sulle vernici usate dagli antichi sulle stoviglie di terra; lettera del Sig. *Brocchi* al Sig. *Dodwell.* Biblioteca Italiana. T. VI. 1817.

***) in commentatione supra citata.

rit, uobis non supererit, nisi, quæ ab his triumviris observata sint, ad vas, de quo hic agimus, applicare.

Ratione picturæ habita videntur 5 vasorum classes non incommode *) posse constitui:

1) eorum, in quibus sive argillæ *color naturalis*, sine vernice aliove indumento et pictura, reperitur, sive color iste naturalis indumento vernicis tenuissimo, paullulum, ut *vividior* fieret, adjutus est;

2) talium, quæ vel ex argilla confecta sunt, quam *materia nigra* permeavit, vel quorum argilla *vernice nigra* plane est tecta. Utraque nunc sine pictura sunt, nunc ornamenta habent figurasque aut impressas, aut *albo, subflavo, rubrove colore pictas;*

3) in quorum *fundo*, sive *naturalem* sive per indumentum vividiorem habente colorem, nigra ornamenta, *nigræque picturæ,* accedentibus interdum lineis impressis, cernuntur. Nonnunquam et in fundo et in figuris aliter pictis modo *lineæ quædam nigræ* repeciuntur. Priora sunt, quæ *Sicula* vocare mos est;

4) in quorum *fundo nigro*, *figuræ rubræ* colore *albo* nigrum obtegente *inductæ* sunt, lineis usque ad fundum nigrum (stilo duro) impressis;

5) in quorum *argilla subflava picturæ* sunt *colore* fusco *Coffeæ* extracto simili, fundum non perfecte tegente, interdum coloribus albis rubrisque inductis. Hæc inepto nomine Ægyptiaca vulgo appellantur.

Ex hisce classibus, 2da ea est, ad quam vas Principis nostri Serenissimi erit referendum.

Juxta experimenta, quæ Chemici instituerunt, de vernice, fundo et figuris ejusmodi vasorum superinducta, ea non massa est vitro similis, quam nunc Glasur

---

*) Jorio XI classes statuit, Hausmannus VIII. Credo eas ad V hic nuncupatas posse revocari.

dicimus, sed alia materia, de qua juvat ipsa Hausmanni*) verba adferre, experimenta describentis, quibus sibi persvasit, methodum, qua opera ferrea tegumento nigro obducantur, etiam in operibus figlinis cum successu adhiberi posse. "*Asphaltum* (inquit) in *naphtha* sive *oleo petræ* pharm. solvi; qua solutione penicilli ope vasa figlina semel cocta, rursusque calefacta obduxi; quo indumentum nigrum vernici simile, cum vasorum superficie intime junctum, et cum vasorum græcorum antiquorum indumento nigro, adspectu perfecte conveniens, celeriter effectum est. Caloris gradus, quo solutionis inductio fit, talis esse debet, qualis sufficit ad asphaltum liquefaciendum. Vasa, post inductionem peractam, per aliquod tempus calori exposui, quo naphtha evaporatur, atque vernix perfecte siccatur. Bitumen liquidum eadem ratione adhibitum, vernicem similem, sed minus nitentem præbet. Asphalti solutio naphthæ ope facta, eo etiam est præferenda, quod saturationis gradus diversissimi effici possunt. Solutio asphalti parum continens, vernicem dat transparentem; qua secundum argillæ coctæ colorem diversum, colores fusci, plus minus in rubrum ducentes, efficiuntur; si solutionis illius inductio repetitur, vernicis variationes diversissimæ, a colore fusco usque ad nigrum perfectum, produci possunt. Color autem obscure niger statim efficitur, si solutionem asphalto valde saturatam adhibeas. Simili ratione, qua vasorum superficies vernice obtegitur, figuræ variæ, apti penecilli ope in illa pinguntur. Picturæ eo perfectiores effici possunt, quo magis vasa calefacta sunt; vernix enim eo citius in argillæ poros intrat et fluiditatem perdit; qua causa lineamenta distinctiora fiunt. Qvo magis autem vasa calefaeta sunt, eo celerius picturas perfici necesse est." Observat vir sagacissimns, vernicem sic productam, eo ab antiqua differre, quod calori permagno non resistat, sed haud improbabile censet, tempus longinquum ad ea firmanda fecisse, quod ars efficere non potuerit.

---

*) l. c. p. 138.

Cæterum picturas vasis inspiciendo patebit, eas grata quadam simplicitate sese commendare. Ductus singuli strenuam, certam, operique assvetam pictoris manum testantur. Nulla superflua sunt personarum vestiumque ornamenta, quod in alio vase, similem ex eadem vitæ Orestis parte scenam exhibente, accidisse cernimus. Inest personæ cujusque positura tanta nobilitas, quanta in illa exspectabatur; atque artificis dexteritas ex eo quoque elucet, quod, cum partibus gravissimis plenam suamque perfectionem daret, idem minus graves, indicatis potius, quam consummatis ductibus expresserit. Cum denique personarum, nigro crine insignium, capita limbo quodam rubroflavo, sed tenui, ambiuntur, ratio absque dubio hæc est, quod sic facere pictor voluit, ut nigrum occiput cum nigro vasis fundo non coalesceret.

§. 4. In *ætate* hujus vasis discutienda brevioribus nobis esse licebit. Operis simplicitas, cum dexteritate quidem et nobilitate conjuncta, jubet illud antiquioribus accensere. Tres sumi solent vasorum pictorum periodi: *)

a) ab anno 700 ad 450 ante Christum natum; quæ epocha est artis antiquissima;

b) ab anno 450 a. Chr. quo tempore Polygnotus et Phidias in Græcia florebant, arsque ad summam perfectionem erat adducta, ad initium belli Punici secundi, 220 a. Chr. Hoc enim ineunte finita est in Italia quidem et Sicilia ista artis perfectio;

c) a bello Punico secundo ad bellum sociale, (220-88 a. Chr.) quod, uti toti Italiæ funestum, ita arti Græcæ, quatenus in Italia floruerat, insanabile vulnus attulit. Post ea tempora vasa picta ibi non amplius fabricata esse creduntur.

Exemplum primæ classis præbet vas Græcum, omnium forte, quæ habentur, vetustissimum, a. 1813 ad unam ex Athenarum portis repertum, Athenen stilo

*) cfr. *Millingen*, Peintures de Vases Grecs p. VIII.

perquam prisco ostendens, et memorabili inscriptione instructum a dextra ad sinistram progrediente: *TONAΘENEONAΘAONEMI* (vel*) *AΘENEΘEN*), ad 6tum certe ante nostram æram seculum referendum, quod repræsentatur in opere: Ancient unedited monuments of Grecian art, from the collections in various countries, principally in Great Britain, illustrated and explained by *James Millingen.* London 1822 in 4to. Vas Italico-Græcum, quod heic illustramus, *in periodo* 2da *ponendum* videtur, seculique certe est sive 3tii sive forte 2di ante æram Christianam. Periodo 3tia, qua fabricæ Græcæ in Italia destructæ fuere, vasa sive nulla, sive ad exemplum Græcorum ex argento, auro pretiosisque aliis metallis confecta putantur.

II.

§. 5. Habet vas hocce, ut multa ejusdem generis, duplicem in suis lateribus *repræsentationem*, unam nempe *in parte anteriore*, alteram in posteriore. Illa gravior plerumque est atque sive ex mythologia, deorum heroumque, ex sacris Bacchicis, ex Bacchi aliisque cum ejus cultu junctis mysteriis, sive ex vita domestica, ex gymnasticis exercitiis, atque ex cæremoniis funebribus,**) maxime desumta; hæc privatam vasis destinationem sæpe spectat, occasionem nempe, qua donatum fuerit, uti transitum ad epheborum classem, matrimonium, mortem cæt. In illa mos erat exquisitiorem scenam proponere, quippe oculis omnium domum visentium exponendam, hæc contra ad parietem versa erat oculisque exterorum subducta, sed ea ipsa de causa domesticæ lætitiæ internique et penitioris gaudii sæpe testis longe, quam illa, erat locupletior.

Cum inter mythos Græcos magnam celebritatem obtinuissent illi, qui domum Agamemnoniam, singularibus in utramque partem eventis insignem, attin-

*) Doctissimus *Raoul-Rochette* in Journal des Savans Aout 1825 p. 478. legendum intelligendumque esse credit: *τῶν ἀθήνηθεν ἄθλων ἐιμί.*

**) cfr. sæpe citatum opus *Millingii* in fol. pag. V et VI.

gebant, non mirum est eos, ut in aliis monumentis, ita in vasis Italico-Græcis, a vasorum pictoribus frequenter fuisse tractatos. "Sævam Pelopis domum" memorat Horatius ab inclyto sui ævi poëta decantatam; et in regione Neapolitana, seculis Augustum prope præcedentibus Orestis præcipue fata artificibus sæpe materiem ingeniosorum operum suppeditasse, patet ex multis vasis, hujus herois historiam sistentibus, quæ in musæis Neapolitanis, vel a Neapoli oriundis *) hodie supersunt.

Anteriorem vasis, de quo hic agimus, partem, non dubium est *Orestem supplicem ad tripodem Apollinis Delphicum* exhibere. Elegit artifex illud vitæ Oresteæ momentum penicillo suo exprimendum, quo heros sumtâ nuper ex oraculi Delphici jussu vindictâ a patris ipsius occisoribus Ægistho et Clytæmnestra, cum ob cædem maternam furiis agitari inciperet, ad ejusdem Dei, qui cædem svaserat, tripodem confugiebat, in Dei Delphici mandato, atque in atrocitate sceleris a matre patrati aliquod criminis, cujus ipse sibi conscius erat, levamen reperiens.

Ex tragicis Græcis hanc vitæ Oresteæ partem varie pro suo quisque ingenio tractaverant Euripides atque Æschylus. Ille in tragoedia *Oreste* inscripta, omnia fere ad pathos (in quo excitando dominabatur) referens, matricidam sistit epilepticis phænomenis obnoxium, ob omnibus repulsum, pallidum, deformatum, mortuo, quam vivo, similiorem. **) Inducit poëta heroem facinoris a se patrati ponderi tantum non succumbentem, et ostendisse eum videtur spectatoribus, non solum in lecto decumbentem, sed et desperantem, sordidum, ore adeo oculisque spumantem. Aliter Æschylus, qui in fabula cui titulus: *Eumenides*, pro ingenii sui audacia magna quidem miracula, imprimis furiarum horrores, promit, sed Oresti constantiam et virile robur tribuens, eum nunquam, ne monstris quidem immane minitantibus, sui immemorem sistit. Initium hujus tragoediæ ad vas

*) Londini, Parisiis, Florentiæ, Romæ, alibi. Cfr. opera, in quibus Hamilton, Tischbein, Boettiger, Millin et Millingen ea illustrarunt.

**) vv. 220. 386. 430. 438.

hocce illustrandum præcipue facit; nam uti ibi Apollo Oresti suam tutelam addicit,*) eumque suum Ἱκέτην diserte declarat,**) uti deus furias a suo templo discedere jubet, heroi quidem suadens, ut Palladem sibi conciliaturus Athenas petat, sed Mercurio simul ejus curam deductionemque demandans; uti Orestes, minis Eumenidum interritus, profitetur se conceptum ex matris cæde piaculum elutum sperare, lustrationibus in Apollinis templo susceptis;***) sic Orestem in hac pictura supplicem quidem, sed fiduciæ plenum, et de furiarum aggressu securum, Apollinem vero vultu severo Eumenidas, placido autem Orestem tueri animadvertimus.

Erit ergo, ni fallor, repræsentatio in hac vasis parte exhibita, sic intelligenda: In medio sedet Orestes in basi, cui tripus Delphicus est impositus, uno pede extento, altero sursum flexo atque curvato; parazonium, quo matrem nuper occiderat, strictum tenet dextera manu, quam super capite versus tripodem elevatam habet, furiæ uni, a latere dextero superne minitanti, velut responsans; adclinat se ad reticulum, quo Clytæmnastra usa fuerat necandi Agamemnonis instrumento, quasi in hoc patrocinium, saltem excusationem matricidii, inventurus. Stat ante ipsum laurus Delphica templi insigne. Uti una furia ceu superne veniens facem versus heroëm intentat, sic infra altera furia velut ab orco ascendens serpentem circum brachia sua flexum, sinistramque manum extensam adversus eundem porrigit. Ab altera tripodis parte stat Apollo manu sinistra lauri ramum tenens, dextera tripodem tangens, cum emphatico digitorum motu, vultuque non minus significante, ad furias atque ad supplicem pariter directo.

§. 6. Ut huic repræsentationi major lux affundatur, erunt cum singulæ personæ in ea obviæ, tum singulæ res ibi pictæ, diligentius examinandæ, atque cum aliis monumentis, simile argumentum tractantibus, componendæ. Verum

---

*) vv. 64-93. 174-192. edit. *Schutzianæ*. Halæ 1794.

**) v. 227.

***) v. 276-278.

cum nullum vas Italico-Græcum sit, quod majorem cum hocce Principis Christiani Frederici cimelio similitudinem habeat, quam illud, quod descripsit *A. L. Millin*, in opere præstantissimo: Monumens antiques inédits ou nouvellement expliqués. à Paris 1802. 4to. Tom. I. pag. 263-302. Tab. XXIX, exstans Parisiis in musæo viri elegantis *Paroi* vasorum locupletissimo,*) brevi comparatione, quid duo hæc cimelia commune habeant, et in quo universe differant, ostendere conabor. Cæterum tanto justius inter se contenduntur, cum vas Parisiense etiam in regione Neapolitana sit effossum, et præsens ejus possessor id emtione sibi inde comparaverit. Itaque

a) vas Parisiense eandem ex vita Orestea scenam, videlicet cum post matris cædem templum Delphicum expiandus adiret, sed *aliud* tamen hujus *scenæ momentum* sistit, aliquanto nempe serius eo, quod vas Havniense exhibet. Hoc enim eum supplicem facit Apollini, illud Minervæ.

b) vasis Parisienses pictor *Æschyli* tragoediam *"Eumenidas"* secutus quoque est, sed *posteriorem* ejus *partem*, in qua heros coram Minerva, eam sibi conciliaturus comparet, Deamque flectit. Verum, nimia ut videtur audaciâ, artifex (quod poëta non fecerat) *Athenas cum Delphis miscet,* et Minervam in templo Delphico supplicis preces audientem facit. Vas Havniense fabulæ Æschyleæ in priore ejus parte tenorem strictius sequitur, addens felicem, me judice, hanc fictionem, pictoris ingenio debitam, ut Orestes fatale Agamemnoni reticulum tripodi apponat, eique se acclinet; quod tamen instrumentum non sine Æschylea auctoritate effinxit.

c) vas Parisiense *Clytæmnestram et Pyladem spectatores* facit, qui ab Havniensi absunt.

d) vasis Parisiensis pictor in omnibus et singulis ornamenta cumulata, luxumque et *splendorem exaggeratum* sectatur, Havniensis contra nobiliorem et

*) id nunc in musæum Cel. *Pope* Londini migrasse, accepi.

recto pulchri sensui convenientiorem simplicitatem. Nunc ad singula veniamus.

Sedet *Orestes* in basi tripodis, nudo capite, nam pileum viatorium, quem monumenta prisca interdum ei imponunt, templum intrans abjecisse credendus est; nudo quoque reliquo corpore, nam faciebat properatio, ut eum sedem ad tripodem caperet; chlamys in basin delaberetur, nec nisi inferiorem brachii sinistri partem ea obvolutam haberet. Pedes etiam nudi sunt, nec, ut in vase Parisiensi, cothurno induti. Pes dexter ita sinuando elevatur, ut ejus planta superiorem basis gradum fere attingat. Torta illa pedis positura habere debuit aliquid supplicibus proprium. In vase Parisiensi uterque pes ita inflexus est; in Hamiltaniano,*) quod heroëm inter duas furias altari Dianæ uno pede insistentem exhibet, pes alter eodem modo curvando sublatus cernitur. Sed docet tamen pictura vasis apud Tischbeinium**), ubi Orestes in basi tripodis, positura naturali, sedet eum amplectens, et Apollini supplicans, id non semper in arte fuisse observatum. Ab humeris per lorum album suspensa est vagina, unde strictum gladiolum (parazonium vulgo dictum) quo Clytæmnestra trucidata nuper erat, manu dextra supra caput elevatum, super fatali reticulo, furiæ videlicet responsans, Orestes porrigit.

Duæ *Furiæ*, una ab aëre, ut videtur, descendens, altera, ab orco adscendens, ad matricidam angendum, cum horroris moderatione, magno artifice digna, depictæ sunt. Utraque longa pallâ,***) per zonam, in una simplicissi-

---

*) vid. Recueil de gravures d'après des vases antiques d'un ouvrage Grec trouvés dans des tombeaux dans le royaume des Deux Siciles, mais principalement dans les environs de Naples l'années 1789 et 1790, tirées du Cabinet de Mr. le Chevalier *Hamilton*, publié par Mr. *Guillaume Tischbein*. Tom. III. pl. 32. Repetita est hæc repræsentatio in *C. A. Boettigeri:* Die Furienmaske. Weimar 1801. 8vo. tab. III.

**) ibid. T. II. pl. 16.

***) pallam Tisiphones, memorat *Virgilius* Æneid. VI. 555.

mam; in altera fimbriis leviter ornatam succincta, induta est. Superior cothurnos, more solito,*) gerit. Cæterum de Furiarum vestitu longius agendi otium nobis fecit Boettigerus, qui in libro: Die Furienmaske, hanc rem plene et eleganter exposuit. Addere modo juvat, quod, dum una Furia facem Oresti intentat, sed non ardentem; dum altera duplicem serpentem versus heroëm, utrique suo brachio implexum torquet, unius quidem caput porrectum cernitur, alterius vero latet, artifex forte exprimere voluerit, quod Eumenidum rabies per Apollinis erga supplicem favorem exarmata esset. Verum id in medio erit relinquendum. Siquis Furiam aliam videre velit, ab Orco adscendentem, ut heroëm angat, qui vinctis manibus curvatoque corpore in ara Dianæ Taurica immolari exspectat, vas Hamiltonianum**) de hoc argumento inspiciat. Denique pictor recte et Æschylei moniti memor***) Furias non fecit alatas. Aliter vas Parisiense, quod majoris, ut videtur, pompæ causa Eumenidas alavit.

Ultima sinistram versus est *Apollinis* figura. Intonsus stat Deus, cothurnatus, superiori corporis parte nudus, nec nisi inferiori ejus parte et sinistro brachio chlamyde obvolutis, eademque mann ramum suæ laureæ tenens. Cum nulla diserta habeat Dei Delphici insignia, diu credebam, Pyladem, Orestis familiarem oleæ ramo instructum hic esse agnoscendum; sed vultum adeo tranquillum, et mansuetudine gravitate mixta plenum mortalis nullus habere poterat, digitique ad tripodem porrectio Furias, quas facies ejus spectat, significanter monet, ut in loco hocce sacro supplicem violenter aggredi caveant. Solertem hanc Münteri nostri observationem animadverti dein prorsus confirmari pictura vasis cujusdam in

---

*) *Boettigerus*, singularem de cothurnis, pedum indumento a venatu oriundo, tractatiunculam theotisce edidit, quæ francogallice quoque versa habetur.

**) cfr. Antiquités Etrusques, Grecques et Romaines, tirées du cabinet de Mr. *Hamilton* (par d'Hancarvillé). à Naples. Fol. Tom. II. 1767. pl. 41.

***) Eumenid. v. 245-46. ἀπτέροις ποτήμασιν ἦλθον.

splendido Millingiano opere,*) Herculis cum Apolline certamen ostendente, in quo idem prorsus Dei Delphici habitus reperitur. Stat quoque in vase Havniensi, ut Deum decebat, aliquanto supra templi pavimentum elevatus, sed non, ut in vase Parisiensi, ornatissimæ Apollinis statuæ similior, quam ipsi Deo.

§. 7. Ex parte vasis anteriore dicere restat: de tripode, de reticulo, de lauro atque de orbiculo superne adposito. *Tripodis Delphici* forma ex aliis priscis monumentis satis nota est, et plerumque talis reperitur, demtis accidentalibus quibusdam ornamentis, qualem vas hocce repræsentat. Ex numis inspici potest Delphicus in numophylacio Regio;**) ex anaglyphis, memorabile illud in musæo Pio-Clementino, quod Orestis de Ægistho et Clytemnæstra vindictam ejusque Delphos fugam sistit;***) ex vasis non pauca.****) Sed cum cel. C. O. Müller Göttingensis, et in singulari disquisitione latina de tripode Delphico disseruerit,†) et duplici tractatu theotisco de tripodibus††) ex industria egerit, sufficiet hoc loco sequentia observare. In hujus vasis tripode nec ὅλμος adest ɔ: orbis planus ci superne imponendus, nec cortina, ɔ: vas metalleum, coni inversi formam habens, et perforati operis, quale in numo Mamertinorum,†††) et in vase Ha-

*) Peintures de Vases Grecs. pl. XXX.

**) Catalogus numorum veterum Græcorum et Latinorum musæi Regis Daniæ, disposuit, descripsit et illustravit *C. Ramus.* P. I. pag. 151. Tab. III. n. 12. qui numus ὅλμον habet, non item cortinam.

***) Museo Pio-Clementino. Fol. Tom. V. Tab. XXII. ubi videatur explicatio *Viscontii.* cfr. Disquisitio *Heeren* in Bibliothek der alten Literatur und Kunst, 3tes Stück p. 1 sequ. et *J. G. Gruber* Encyclopädie der Alterthümer Griechenlands, Etruriens und Roms. Leipz. 1801. 4to. p. 50. tab. 3.

****) ex. c. apud *Tischbein* II, 16. *Millingen* tab. XXX. al.

†) Göttingæ 1820. 4to.

††) vid. *C. A. Boettigeri* Amalthea, 1ster Band. Leipz. 1820. pag. 119 sequ. et 3ter Band 1825. pag. 21-52.

†††) vid. *C. O. Müller*, Amalthea. I. B. Tab. III. Fig. G.

miltoniano (Vol. Collect. IIdo tab. 30) valde luculentum est; quodque inter tres annulos in pictura nostra conspicuos in cavaturam tripodis superiorem sic insereba-tur, ut latior pars aliquantum supra annulos extaret, angustior non ad fundum rotundæ cavaturæ descenderet, sed modo tantum, ut ignis in cortina ardere cinisque per ejus foramina decidere posset. Talis tripus cum omni suo apparatu erat, cui, cum oracula danda essent, Pythia insidebat, verum hic unice de sacri Delphici insigni agebatur, ideoque haud opus erat, ut holmo et cortina esset instructus.

Instrumentum illud, inter tripodem et Orestem ita positum, ut suplex, ad hoc se acclinet, et super ejus summitate parazonium tantum non ponat, pars picturæ ad explicandum difficillima omnibus, qui vas spectavere, visum est. Formam habet fere doliarem, sed in medio latiorem, versus tripodis basin aliquando arctiorem, arctissimam tamen in parte superiore, ita ut herois sedentis altitudinem æquet, lineisque horizontalibus, et verticalibus fere foraminibus, perfossum sit. Liceat paucis proponere, quid de hocce instrumento probabile mihi videatur. Puto *reticulum* esse, quo illaqueatum Agamemnonem Clytæmnestra trucidasse ferebatur. Æschylus pictori tale reticulum repræsentandi ansam dederat, dum in Eumenidibus vv. 455-58. Orestem hæc Minervæ dicentem facit: (Agamemnon, meus pater, inclytus ille expeditionis Trojanæ dux, vastato Ilio)

.... periit inhoneste, rediens
domum; quippe ipsum atri animi mea
mater occidit, doloso (v. variegato) *reti* *)
involutum, balneumque testis fuit cædis;

atque dum vv. 629-32. Apollo Palladem cogitare jubet, quomodo eadem

virum prudentia longe præstantissimum, sumens
alveum aquaticum transeunti per lavacrum, ejusdem ad exitum

*) ποικίλοις ἀγρεύμασι κρύψασα.

pallium superinjecerit, et *inextricabili*

artificioso peplo *) *illaqueatum* maritum ceciderit.

Apud Euripidem in fabula "Orestes" inscripta, queritur Electra: **) de nefanda matre

quæ maritum *inextricabili textura circumdatum* trucidasset.

Cum itaque ab Æschylo artificiosa tunica, a Clytæmnestra texta, cum reti esset comparata, sequens ætas hujus comparationis haud immemor, ex tunica verum reticulum fecisse videtur, atque talem repræsentationem pictores nonnullos arripuisse non est improbabile. Probat tale quid Lycophronis Cassandra, a cujus vatis ore hæc audiuntur: ***)

Unus quidem in lavacris *inobservabilis*
laquei collaris quærens *vias,*
Implicitus in *everriculo*
cæcis investigabit manibus *fimbriatas suturas,...*
...caput percussus acuta securi;

---

*) *φᾶρος παρεσκήνησεν, ἐν δ' ἀτέρμονι*
κόπτει πεδήσασ' ἄνδρα δαιδάλῳ πέπλῳ.

**) vv. 24-26. .....*μητρὸς ἀνοσιωτάτης,*
ἣ πόσιν ἀπείρῳ περιβαλοῦσ' ὑφάσματι
ἔκτεινεν. ex edit. Aug. Matthiæ. Lips. 1813. T. I. p. 70 In ejusd. editoris scholiis græcis ad Orestem, Vol. IV. p. 185, habentur hæ explicationes: *ἀπείρῳ. κυκλοτερεῖ (ἀδιεξοδεύτῳ) μὴ διεξόδους ἔχοντι κεφαλῆς καὶ χειρῶν. περιβαλοῦσα. περικαλύψασα, ἐνδύσασα, ὡς τὸ περίβαλε τὸν ἅγιον τοῖς δεσμοῖς. ὑφάσματι, ἱματίῳ (χιτῶνι) ἡ γὰρ Κλυταιμνήστρα χιτῶνα ὕφανεν, οὔτε ταῖς χερσὶν, οὔτε τῇ κεφαλῇ ἔκδυσιν ἔχοντα, ὅπως μὴ Ἀγαμέμνων ἀμύνασθαι δύνηται τοὺς φονεύοντας.*

***) vv. 1099-1105. *Ὁ μὲν γὰρ ἀμφὶ χύτλα τὰς δυσεξόδους*
ζητῶν κελεύθους αὐχενιστῆρος βρόχου,
ἐν ἀμφιβλήστρῳ συντεταργανωμένος
τυφλαῖς ματεύσει χερσὶ κροσσωτοὺς ῥαφὰς... ex ed. *J. Potteri.* Fol. Oxonii 1697. p. 116-117.
τυπεὶς σκεπάρνῳ κόγχον ἐνθήκτῳ μέσον.

et in Senecæ Agamemnone*) eadem Cassandra, obscure canens, hanc tunicam non quidem cum everriculo sed cum reti venatorio, hisce scil. verbis, comparans:

Mortifera vinctum perfidæ tradet neci
induta vestis; exitum manibus negat,
caputque laxi et *invii* cludunt *sinus:*
Haurit trementi semivir**) dextra latus,
nec penitus adigit; vulnere in medio stupet.
at ille, ut altis hispidus sylvis aper,
cum *casse vinctus* tentat egressus tamen,
arctatque motu vincla, et incassum furit,
cupit fluentes undique et *coecos sinus*
dissicere, et hostem quærit implicitus suum.
Armat bipenni Tyndaris dextram furens.....

Quam naturalis est in lingva Græca transitus a pallio s. chlamyde (*ἀμφιβλήστρῳ*) ad everriculum (*ἀμφίβληστρον*), tam facile fieri poterat, ut pictores, qui in Æschylo *ἀγρεύμα πόικιλον*, in Euripide *ἄπειρον ὕφασμα περιβληθέν*, in Lycophrone ipsum adeo *ἀμφίβληστρον*, et *κροσσωτοὺς ῥαφάς* legerant, reticulum everriculo simile repræsentarent ceu fatale Agamemnoni instrumentum; idque a vasis Havniensis pictore factum suspicor. Erat, ni fallor, pulchri quid in ea cogitatione: quod Orestes coram Apolline proponere voluerit reticulum illud, quo ipsius pater tam indigna nece, ceu fera aliqua bestia, trucidatus fuisset, quodque excusatione, quam vel solum hoc reticulum daret, sufficere deberet, ad Furiarum impetum retundendum.

---

*) vv. 879-89.

**) Ægisthus.

Est quidem vas aliquod,*) cujus pictura Agamemnonem simplici sed amplo peplo involutum repræsentat, cum Clytæmnestra elevata asciâ vulnus fatale illi intentat; verum id cum laudatis poëtarum locis non bene conspirat. Suffragari meæ explicationi videtur pictura Collectionis Hamiltonianæ,**) in qua nobilis et fastuosa sedet femina ornatui intenta, sed habitu tamen, qui serium aliquod molimen auguratur. A sedili dependere cernitur instrumentum reticulo vasis Havniensis simile, striatum, perforatum, ore arctius per nodum ligato, in latere positum, sic ut inferiorem ejus partem pallium reginæ oculis subducat. Ancilla ad simistrum latus speculum et scriniolum ad heram ornandam gerit; a dextra vir pileo indutus, (quem Ægisthum esse suspicor, uti non Castor solum, sed ipse Orestes et alii pileati occurrunt) qui una manu hastam erectam tenet, alterâ parazonium in vagina sua reginæ ostendit. Crediderim Clytæmnestram hic cædem mariti molientem, splendidissime se vestire, ut Agamemnonem simulato studio exciperet, quo facilius illum insidiis ab ipsa et Ægistho structis capere posset.

Texturam talem, quæ in pictura cernitur, cum striato et perforato opere, in vestimentis tricliniariis adhibitam fuisse, atque ideo etiam in pallio balneari, Agamemnoni destinato et non sine magna arte a regina præparato, adhiberi potuisse, concludo rursus ex vase Hamiltoniano***) in quo duo viri, in lecto simul sedentes, suum singuli pulvinum habent, simili texturæ ratione opere reticulato ornatum.

His observatis ad intuendum vas Parisiense, a Millino in Monuments inédits explicatum, revertens diffiteri nequeo, me in eo etiam videre retiforme pallium Agamemnoni a Clytæmnestra magna arte præparatum. Ejus ostium ab Ore-

*) *Millin* Peintures de Vases I. 58. et in *Ejusd.* Galerie mythologique. a Paris 1811. tab. CLXX. n. 615.

**) a d'Hancarville editæ. Vol. 2. Tab. 100.

***) pr. D'Hancarville, Vol. IV. tab. 90.

stis collo tegitur; inferior ejus pars, *fimbriatas* quidem (ut Lycophronis verbis utar) non sine magno splendore habens *suturas*, supra basin tripodis, infra genua herois dependet. Patet ex Millini descriptione, quod hoc instrumentum cum sollicitum tenuerit; sed juxta hypothesin nuper propositam, etiam ibi Orestes ad reticulatam illam vestem, ipsum inter & tripodem suspensam, sese reclinat. Cæterum everricula veterum ab iis, quæ nostro tempore habentur, forma non multum recessisse, quisque sibi persvadebit, numos ex. c. Byzantinos apud Sestinium et Wiczay*) inspiciendo; unde tamen intelliget, eorum crassitiem vel tenuitatem olim, ut nunc, variam fuisse. Vasis Havniensis reticulum ad everriculorum nostro tempore, et in ostio et in alvi medio, crassitiem forma sua prope accessisse animadvertitur. Ut aliorum de instrumento nunc illustrato sententias verbo attingam, qui sive vas lustratorium, sive ipsam cortinam in eo viderunt, neutrum id esse posse autumo; nam dolio similius est quam vasi, cujus talis forma vix unquam in priscis monumentis reperitur. Cortina quoque esse nequit, nam si vas tantæ altitudinis, ut fere Orestem (demto pede) æquet, tripodi insereretur, certe in tantum assurgeret, ut nemo facile ejus summum tangeret.

Arbor, juxta tripodem posita, *laurus* est censenda. Nam sicut lauri ramum manu tenere Apollinem in sinistra picturæ parte nuper vidimus, sic eadem arbor ad alterum tripodis latus cernitur. Cum Aristophanes in Pluto v. 213. Phoebum memorat, qui Pythicam laurum quatiat, observat Scholiasta Græcus, hanc arborem tripodi imminentem suo tempore magnam admodum et umbrosam fuisse. In anaglypho musæi Pio-Clementini supra citato, eminet lauri ramus super tripode curvatus, et in pulcherrima vasis pictura, a Tischbeinio delineata (II Vol. Tab. 16), sedet Apollo ad tripodem, laurumque ipse quassat.**) Parvus

---

*) *(Sestini)* Descriptio numorum veterum. Lipsiæ 1796. 4to. Tab. II. n. 5. Musei Hedervarii in Ungaria numos antiquos descripsit *C. Michael a Wiczay*. Vindobonæ 1814. 4to. Tab. IX. n. 187.

**) *Πυθικὴν σείσας δάφνην*, ut dixerat Aristophanes.

frutex, qui ad sinistram tripodis partem pone basin promicat, nos non morabitur; nam pavimentum templi Delphici stratum non fuisse inde concluditur, quod ex terræ foramine ascendebat ille motus, qui Pythiam oracula fusuram in vesaniam mittebat. Ex eo ergo, ut laurus, sic frutex procrescere bene poterat.

Orbiculum, qui inter Apollinis caput tripodisque apicem superne, in templi, ut videtur, pariete suspensus est, placentam sacram (πόπανον) esse, quæ ad sacros usus perpetuo requirebatur, cum Passerio, Boettigero aliisque statuo. Sexcenties ille in vasorum picturis *) occurrit, præcipue in talibus, quæ festa et sacra Bacchica, atque solennia domestica ex. c. nuptias, initiationem et similia repræsentant.

§. 8. Venimus denique ad picturam, quæ *posteriorem* (aversam) vasis *partem* decorat: Ea, quippe minus composita, nos non longe detinebit. A dextera stat maturus juvenis, exserto brachio dextro, quo gestum facit colloquia adjuturum, quæ ipsum cum duabus reliquis personis habere, vultus ad virum ab altero latere stantem directus ostendit. Reliquum corpus chlamyde super alterum brachium rejecta tectum est. In capite myrteam gerit coronam. In medio cernitur femina, corpore (exceptis manibus) prorsus velata, et super longa palla brevius vestimentum infra pectus succinctum habens. Una manu, armilla supra pericarpum ornata, palmæ ramum juveni porrigit, altera similem armillam gerente cistam ad mundum ejus sine dubio servandum tenet. Caput quoque ad juvenem spectat, ejusque pili in nodum sive corymbum pone sunt compositi. Tertia persona, ut puto, viri, juvenem attente tuetur, manuque dexterâ exserta, dum cæterum, ut juvenis, chlamyde tectus est, digitorumque motu indicat, se aures illius animumque attentos poscere. In pariete pendet tænia sa-

*) in pictura a Tischbeinio delineata Vol. III, tab. 10, quinque tales placentæ, super 4 convivis pendent.

cra, a vasorum descriptoribus jugum conjugale appellata. Applicata quoque parieti superne est thecula aliqua oblonga, qualem vasa picta sæpissime monstrant. Inter virum et feminam cernitur parvum aliquod rotundum instrumentem s. rosa, peripheria octo globulis constante, quodque in medio etiam habet globulum.

Non ambiguum est, domesticam scenam hac pictura exhiberi. Palma, quæ juveni porrigitur, ostendere videtur, quod ab aliquo certamine gymnastico victor discesserit. Sic in vase Hamiltoniano *) juvenis certator, sinistra strigilem habet, dextra palmæ proceræ ramum a femina acceptum jam tenet, eique a genio corona datur; uti in vase Principis Christiani certator coronam jam capiti imposuit, sed palmæ ramum nondum accepit. Corona myrtea, caput ornans, nuptias mox moxque exspectandas innuit; idem credere svadent tænia sacra in pariete suspensa, cista ad mundum servandum, forte quoque theca quadrata. De theca quidem comparare juvat picturam vasis Hamiltoniani pulcherrimam, **) in qua e tali theca caput exserit (Veneri sacra) columba. Si in viro, hujus juvenis pater, custos vel curator, si in juvene sponsus cogitatur, facile intelligitur, cur cum hoc ille graves, quos utriusque vultus manusque docent, simulque festos, misceat sermones.

Cum sæpe unius in vase lateris repræsentatio, cum ea, quæ in altero latere cernitur, nil commune habeat, non juvat conjecturis indulgere de picturæ aversæ cum anteriore nexu. Sed si aversa ad instans matrimonium pertinet, non deerat in domus Agamemnoniæ fatis, unde provectior juvenis amicus materiem gravis colloquii peteret. Simile quid in vase, ***) raptum Cassandræ pingente, Boettigerum scimus ingeniose suspicatum.

*) ed. D'Hancarville. Vol. IV. tab. 116.

**) ibid. Tab. 38.

***) Ueber den Raub der Cassandra. Weimar 1794. 4to.

1.





VA1
1511435